



Tractatvs De Sacramentis Et Censvris

Hurtado, Gaspar

Moretus, 1633

Dispvatio X. De octauo effectu Excommunicationis maioris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94788](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94788)

DISPUTATIO X.

De octauo effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICULTAS VNICA.

Utrum rescriptum ab excommunicato impetratum sit nullum.

CONVENIUNT Doctores, excommunicationem maiorem efficere nulla, rescripta Papæ ab excommunicato impetrata, & processum virtute illorum factum super alio quam super excommunicationis aut appellationis articulo, vt expressè constat ex c. 1. de Rescriptis, in 6. nisi rescripta dentur cum clausula absolutionis ad effectum validationis eorum, vt iam semper fit, quamvis sub ea conditione (contenta in Regula Cancellariæ de Infurdescitibus) nempe quod excommunicatus non insurduerit per annum in excommunicatione: imò nec per quatuor menses in octo casibus contentis in eadem Regula, quam referunt Toletus lib. 1. cap. 13. & Nauarrus tom. 1. Consiliorum lib. 5. tit. de Sententia excommun. cons. 44.

Toletus.
Nauarrus.

Id autem quod dicimus, nempe excommunicationem maiorem efficere nulla, rescripta Papæ, non est extendendum ad rescripta Prælatorum Papæ inferiorum, vt aduertunt Nauarrus vbi supra, de quibus Suarez disp. 17. sect. 1. quia non dicuntur simpliciter rescripta, sed tantum rescripta supremorum Principum: imò non est extendendum ad rescripta supremorum Principum secularium, vt contra Nauarrum aduertit Suarez, quia in dicto cap. 1. tantum est sermo de rescriptis Apostolicis, vt ex contextu cap. & ex discursu Tituli deducitur. Quæ ratio etiam habet locum in dictis rescriptis Prælatorum Papæ inferiorum.

Predictam autem nullitatem rescriptorum Papæ, concessorum excommunicato, difficile credimus habere locum in rescriptis absolute concessis excommunicato tolerato: id autem difficile credimus, vt faueamus Papæ concedenti rescripta, vt absque scrupulo possit ea absolute conferre, quia iure communi prohibitionis excommunicationis alienæ, quoad vim directam neatur.

DISPUTATIO XI.

De effectibus remotis Excommunicationis maioris.

DIFFICULTAS VNICA.

Utrum præter dictos sint alij effectus Excommunicationis maioris.

CONVENIUNT Doctores, præter effectus, quos excommunicatio maior causat per se & immediatè, de quibus iam egimus, esse alios qui remotè & quasi per accidens ex illa oriuntur.

Primus ergo effectus remotus excommunicationis maioris est pœna, quæ incurritur non immediatè ob excommunicationem, sed ob transgressionem excommunicationis seu prohibitionis ipsius, vt est irregularitas, quam incurrit Clericus, qui excommunicatus exercet vt minister, seu solemniter officium Ordinis sacri quem habet, vt constat ex cap. 1. de Sententia & re iudicata, & ex cap. 7. qui. 18. & ex c. 1. s. cui. 20. de Sententia excommun. in 6. & suspensio, quam incurrit, qui excommunicatus ob percussione Clerici suscipit Ordinem, vt constat ex c. Cum illorum. 32. de Sententia excommun. & etiam excommunicatio, siue maior siue minor, quam incurrit illicitè communicans cum excommunicato.

Secundus effectus remotus est, eum, qui conuenitur super crimine, siue civiliter siue criminaliter, & ob contumaciam in ea causa excommunicatur, & in ea excommunicatione per annum perseuerat, censi conuictum de eo crimine, vt deducitur ex can. Rursus, & ex can. Quicumque. 11. quæst. 3. ac proinde, qui suspectus de hæresi vocatur ab Inquisitoribus vt respondeat de fide, & non compareret, & ob id excommunicatur, & in excommunicatione per annum perseuerat, censetur conuictus de hæresi, & vt talis puniendus est, vt deducitur ex cap. Cum contumacia. 7. de Hæreticis, in 6.

Tertius effectus remotus est, eum, qui excommunicatione innodatus (& idem est de suspensione & interdicto) obdurato animo in ea per annum perseuerat, fieri suspectum de hæresi, & vt talem posse puniri, vt constat ex Tridentino sessione 25. c. 3. de Reformat. Hac tamen suspicio est levis, vt constat ex praxi Inquisitorum, & dicitur in Directorio Inquisitorum 2. part. quæst. 47. inducit tamen purgationem, in qua si debeat, poterit vt hæreticus puniri. Addidimus (vt additur in Tridentino) obdurato animo, quia si ignorantia, aut impotentia in excommunicatione perseueret, non fit suspectus.